

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Anno Seculari M DCC XXX. atque Ecclesiis Christi in
Dynastia leverensi huiusque Pastoribus, Viris plurim.
Reverendis Sacrum.**

Reuter, Christian

Oldenburgi, MDCCXXX.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-704157](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-704157)

ANNO
SECULARI M DCC XXX

atque

ECCLESIIIS CHRISTI

in

DYNASTIA IEVERENSI

huiusque Pastoribus, Viris
plurim. Reverendis

SACRUM.

P. P.

CHRISTIANUS Reuter, D.

Confil. Consist. & Superintendens.



OLDENBURGI,

Typis I. C. Götjen, Regis Dan, priv, Typogr.



Quod felix igitur faustum ac fortunatum sit christi-
 anæ religio-
 tum poste-
 Redit
 divina veritatis luce co-
 fia & factorum exem-
 consensione publicas
 manibusve ad lætitiar
 celebrandum,

Ad initia causæ l
 parvum, exile, aut te
 Enim vero, quem sap
 hoc idem in tempus
 ipso perquam oportu
 flein anfangen. Miru
 lentiore, alterum exce

Canebat *Lutherus*
 a parentibus haud in r
 sophiæ umbraticæ invo
 ris deamatas. Sed me
 veri avidam, incendeb
 leetor tandem & theolo
 saltem *Mellerstadius* do
 doctorum gregem suscepto
 multo post, mensas &
 monentes aut minantes
Domine miserere mei. V
misellus manachus omnia
 sereno animo *Fronsber*
 hest einen schweren Gan

Lutherus contra,
 tetur in aere, sive Path

1569 T. vii



us sacrum
 tare.
 s, quem
 in eccle-
 animorum
 mentibus
 ucant con-
 ifi, quod
 nus, licet.
 ntissimus,
 rthesius de
 erden/muß
 ore, aut
 augmenta,
 ar scholæ
 que Philo-
 tempo-
 mentem,
 Iuvenis:
 vel alter
 hic totum
 non ita
 sicisset,
 & die:
 lerabile, ut
 atiensibus
 / du ge
 ero versa-
 ebat, &
 scri-



Quod felix igitur faustum ac fortunatum sit christi-
anæ religioni, totique ecclesiæ ac nobis omnibus sacrum
tum posteris imprimis firmum, constans & salutare.

Redit in fastis dies *quintus Iunii & vicesimus*, quem
divina veritatis luce collustravit ipse Deus, tantisque rerum in eccle-
sia & factorum exemplis suo distinxit numine, ut una pii animorum
consensione publicas suscipiant laudes, ac tempus præfens, mentibus
manibusve ad lætitiâ compositis, solemnî pietatis ritu ducant con-
celebrandum,

Ad initia causæ huius sic revocemus animos, nil, nisi, quod
parvum, exile, aut tere contemnendum sit, deprehendamus, licet.
Enim vero, quem sæpius morem secutus est Deus sapientissimus,
hoc idem in tempus *Lutheri* comprobari debuit, uti *Matheus* de
ipso perquam opportune rem expressit: *Was groß soll werden/muß
flein anfangen.* Mirum dictu, unum quo gradu, aut citiore, aut
lentiore, alterum exceperit, fueritque consecutum in rei augmenta,

Canebat *Lutherus* puer ossiatim cursitans: Tradebatur scholæ
a parentibus haud in re magnis, logicis præceptis, ceterisque Philo-
sophiæ umbraticæ involucris implicabatur ad tenebras eius tempo-
ris deamatas. Sed mediis in iis igniculi immissi *adolescens* mentem,
veri avidam, incendebant. Fit *Monachus* idem sine gloria *Iuvenis*:
lector tandem & theologus, cui unus *Maximilianus I. Imp.* vel alter
saltem *Mollerstadius* doctor occinebant vates: *Monachus hic totum
doctorum gregem suscepto confunderet ludo;* centeni contra, non ita
multo post, mensas & mercaturam *Io. Tezelii* cum iam disiecisset,
monentes aut minantes subiiciebant: *Abi in Cellam tuam & dic:
Domine miserere mei.* Vex ex verbis *Episcopi Langii*: *non est tolerabile, ut
misellus monachus omnia reformet.* In Comitibus *Wormatiensibus*
sereno animo *Fronsbergius*, eques: *Münchlein / Münchlein / du ge-
hest einen schweren Gang.*

Lutherus contra, aut magni aut nihili habitus, sive libero versa-
retur in aere, sive Pathmis teneretur conclusus, rem urgebat, &

scri-



scribendo, precando, legendo, prælegendo veritati operabatur. Omnia interim movet Papa cum satellitibus purpuratis & infulatis. Hinc datis promissis idem graciosus Petrus invitat ad gremium; hinc per gladios vel Bullas emittit fulmina ad discutiendum. Incitantur regna exterorum iam ad verum, iam ad ferrum, quod erat vaticinatus Christus. Nec suo negotio Satan deerat, subiectis tritico zizaniis, per religionis non restauratores sed turbatores, Caroloftadium, Cinglium, Schwenckfeldium, Prophetas & Anabaptistas clericos, aut rusticos. Gliscebant in Imperio motus. In diversa celsissimi trahebantur *Principes*. Instituebantur conventus, sed optime cogitata sine factis, aut cum adiectis formidolosis consultis, Wormatiæ anno imprimis MDXXI. promulgatis, pacem ecclesiæ ad antiquos mores revocandam esse, exciso Luthero & Lutheranismò, dudum excommunicato, quicquid optimi *Principes Norimbergæ* semel iterumque, dein *Spiræ Nemetum* gravissime protestarentur.

Annus tandem divinitus ad memoriam constitutus, qui supra millesimum quingentesimum erat trigesimus, illucebat secundo omnine & sermone memoria sempiterna digno. Sermone inquam, aut gravissima potius oratione mensis anni commemorati primus initia dabat lucis perrumpentis. Legas *Cælestini* historiam Comitiorum, Augustæ habitorum, primis statim lineis, atque suavissima cum animi voluptate conspicias dictorum summas, collectas ex iis, quæ mandato *Caroli V. Mercurinus*, Cæsari qui erat a consiliis & scriptis, magna prudentia de corruptissimo ecclesiæ Rom. statu eiusque emendatione est præfatus; tum, quæ *Carolus* ipse, admodum adhuc invenis, mirabili & vocis & vultus gravitate *Clementi* Papæ sub oculos reposuit.

Suadebat *Carolus* synodum, verbis Imperatore dignis: *Ut cognitio ordine possit fieri, veterum Imperatorum exemplo adfuturus sum, & quantum potero, efficiam, ut hæc leges iustissime servantur, utraque pars pariter audiatur & sententia non tyrannicis arbitriis ferantur, sed iuxta leges, videlicet iuxta doctrinam, quam certum est, a Deo traditam esse.*

Disuadebat *Clemens*, & responso quidem ecclesiæ capite prorsus



sus indigno perorabat. Finis enim ibi & fulmen idem : *Reliquum est igitur, ut, sepositis synodis CAROLE, armis pacem restituas. Hæc cum dixisset Pontifex, verba sunt Caelestini, iubet Carolus, quia non decreverat a sua sententia discedere, Mercurinum, refutare Pontificis Orationem. MERCURINUS itaque iussus dixit: Multas esse causas motas, quæ in superiorum seculorum synodis non sint agitate, & paulatim novos morbos in hac senecta mundi in ecclesia pervasisse, quibus quærenda sint remedia. Hæc cum ille gravissima Oratione exaggeraret, interpellat Clemens Pontifex torvitate vultus & vocis tyrannidem ostendens & inquit: Quare tu mihi sic contradicere audes, & Dominum contra me incitas.*

Hic surgit ad dicendum Carolus ipse. Mirantur Principes, quid juvenis dicturus sit, & attentè audiunt omnes; fuitque hæc gravissimæ Orationis summa: *Agnosco, me juvenem esse, & huius Mercurini & aliorum sapientum consiliis uti me fateor, & debere me sapientiores audire, iudico, sed scito, & Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixisse, & me ab hac sententia donec vivam, non recessurum esse. Tuum consilium speciosum & plausibile profanis videri potest: Sed meum & iustum est & ecclesie convenientius, & si non impedieritis, Deo iuvante, spero, humano generi salutare futurum esse. Nec illa terribili oratione tua abducor a sententia, quod non sit audienda disputatio de absurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia, quæ nunc disputantur, absurda sunt, nec sunt ulla in extricabiles quæstiones in ecclesia de rebus necessariis. Ultra, quæ pars pariter audiatur & sententiæ non tyrannicis arbitriis ferantur, sed iuxta leges, videlicet iuxta doctrinam, quam certum est, a Deo traditam esse. Nunc vero quod iubes, ut sine diiudicatione bona pariter & mala deleam, id nequaquam faciam. Nolo enim ex ecclesia tollere legitima iudicia & constituere tyrannidem.*

Pervicit autem Pontifex tandem Bononia ut Carolus imminueret gratiæ consulta, & Patri Rom. promitteret, primum se amicis & pacificis rationibus Lutheranos ad obedientiam Rom. ecclesie redacturum, aut, si pertinaciter recusarent, armis se oppressurum esse pervicaces.

Quo constituto indicari facit Protestantium Principibus Caesar, lit-



litteris in Germaniam die 21. Jan. 1530. dimissis, Conventum Imperii *Augustæ Vindelicorum* habendum esse, quo, præter res bellicas, religionis causa tractaretur, ut partium sententiæ inter se *omnicharitate, lenitate & mansuetudine mutua* audirentur, & coram ponderentur, res tandem omnes ad unam simplicem veritatem & concordiam christianam componerentur, una adeo sincera & vera doctrina servaretur.

Atque hæ ipsæ Cæsaris litteræ causam dabant & originem, condendæ, ac scripto latine, & germanice comprehendendæ summæ cuiusdam ac formæ sanorum verborum, quæ exhiberi posset in publicum. Iubent ergo Principes evangelicam doctrinam amplexi, theologi ut sui conferrent inter se ac colligerent necessaria. In primis *Iohannes*, Princeps Elect. Saxon. id egit, ut impositum quod erat, perficeretur. Dispiciunt adeo Doctores, consignant & congerunt. Quæ res cum ad Lutherum potissimum spectaret, ipsique transigenda, incumberet & demandata esset, articulos septendecim composuit, quos *Melanchthon* deinde, *Augusta* hærens, collatis inter se aliorum quoque sententiis, finxit stilo suo ac methodo formavit. Interea cum lenissimis verbis *Bononia* acerba quædam adiecisset *Carolus*, veræ hostes doctrinæ clamores suscipiebant, triumphantes ante victoriam, *Lutheranos omnes plane obritos & deletos iri, nec multis opus esse conventibus*. Ancipiti utrinque cura iactabantur summi principes, dubii num armis cingerent se, vel doctrinæ argumentis. Posterior vicit, Luthero subiectis suspiriis, votis, & rationibus deprecante bellum, uti pacis ille suavor semper fuit, quo evolvas *Hortleder*, in *Ursachen des deutschen Kriegs* prim. annis.

Lætis sic animis atque in Deo obfirmatis fit concursus: *Augustanum* iter primus Dominica *Indica* ingreditur Saxo Dux atque Elector, *Iohannes*, Comites fidei ac viæ secum habens, præter theologos, filium *Iohannem Fridericum, Franciscum*, Ducem *Lüneburgensem*, *Wolfgangum Anhaltinum*; Sequebantur Comes *Mansfeldensis*, *Philippus Hassii* Landgravius, *Georgius* Marchio *Brandenburgensis*, *Ernestus* Dux *Lüneburgensis*; quibus accedebant civitates quædam. Confluunt magno numero alii, quorum pars tacite favebant, aut silebant, pars iactabant



minas. Moræ etiam iniectæ viis Cæsareanis. Ex octavo enim *Aprilis*, qui comitiis designatus erat, existebat *Maius*, atque ex Maio *Iunius*. Multorum animos subibant præsagia tempestatum, quæ nimbis, procellis, turbinibus concuterent omnia. Augustani octingentos pedites, urbis tuendæ causa, conscripserant, hos Cæsar exauctoravit, substitutis Cæsareanis. Prohibebantur conciones Evangelicorum. Trepidabant theologi. Calamum scribens manu vix tenere poterat *Melanchthon* præ metu futuri. Oratores contra & nuncii Romani Patris, *Vincentius Pimpinellus*, & *Laurentius Campegius* tam magni illius gregis alii perorabant coram *Carolo* & *Ferdinando* usque ad hunc Calophonem: *Vale Cæsar Vade, pugna & Vince, incide, separa, discute*. Atque id tertio vel pridie ante lætum Confessionis diem. Cogites retro, quam conturbarint hæc omnia summorum & præsentium Principum & Ducum animos, quamque inter spes & millenos metus & fluctus navis Christi fuerit iactata. Accedebat admitteri posse, *confessio quidem ut exhibeatur & tradatur, negari autem, prælegatur ut eadem publice vel privatim audiat*. Rex imprimis *Ferdinandus* in ipso confessuprehendit nunc hoc, nunc illud, insusurrans in aurem, & nec conquievit, donec eo die impediret recitationem, teste *Coelestino*, cuius sermo est de die 24. Junii,

Sed his quoque feliciter per preces & rationes ad partem superatis, id tandem exortum est, ut die uno illo, iucundissimo *XXV. Junii*, sole quidem vertente ad vesperam, lux tamen nostris affulserit, adeo, ut hora à meridie secunda, in Palatio Cæsaris, per *Beyerum*, sublata ac sonora voce in summo audientium coetu, coram Imperii statibus, prælegeretur Confessionis forma.

Formam dico non sine causa. Formæ enim & formulæ nomen magna & mira excitavit in utramque partem. Pia gravitate, quæ decet in divinis, formam condere iuebant Principes ex optimi ipsius & moderatissimi Imperatoris pia voluntate, cum de primordiis reformationis ageretur. Magistri & concionatores operi subiiciebant manus. Norma erat scriptura, ipsa, quæ formæ nomen a Deo accepit. Hinc FORMA Confessionis Augustæ exhibita, atque, fulminis instar, universum orbem pererrans.

Seque-



Sequebatur annis fere abhinc quinquaginta Declaratio ac repetitio illius piæ Confessionis maxime in Saxonia, quæ singulari de causa titulum accepit *Formule & quidem Concordiæ*. Rationes impositi nominis reddunt summi, Electores, Principes, & sacri Ro. Imp. in Germania ordines in præfat. libri quod *vinculum charitatis Christianæ, & pium consensus, contra corruptelas per falsos fratres introductas & contra temporum dissolutionem voluerint dare*. Subiiciunt illi tandem: *Hanc confessionem etiam, Deo nos bene iuvante, usque ad ultimos spiritus, pie ex hac vita ad coelestem patriam migraturi, tenebimus, excelsis & intrepido animo, puraque conscientia comparituri coram tribunali Domini nostri Iesu Christi*. En quantus honor Formæ ac Formulæ! Bene *Waltherus B. Wittenbergensis* in *mscr. Formula dicitur a modo & ratione loquendi in Ecclesia, quippe quod hoc scripto cautum fuit, ne liberum esset hominibus turbulentis pro arbitrio suo de rebus dogmaticis loqui*.

Sed, miremur temporum, iniquitatem hominumque furores, quod tantas honori sordes adijcere molitus sit hostis stercorius. Augustanæ Confessioni, quæ iniectæ sint magnis plaustris, consignarunt post *Melanchthonem & Lutherum*, auctores maxime Saxonici in *Aug. Apffel* anno 1628. und in *Haupt. Vertheidigung des Aug. Apfels* Anno 1630 contra *Forerum, Land, Herrn*, aliosve in maiestates & ipsum cœlum iniquos. *Confessionista!* Id tituli reportabant summa capita & Principes & Ordines & Doctores, sicut *Formulistarum discordiarum* scomma præmii loco, pro aliquot millenis nummis & curis, acceperunt auctores Concordiæ. Omnes norunt, conferendos hic esse *Hospinianum & Hutterum: Massonium & Wellerum, Hojum,* ceteros.

Ecquid vero suscitaram oreum antiquum, novum cum habeamus? Quid virulentius a ICTis quibusdam scriptum quam de Confessionum formulis? Quid contra ledius vel abiectius aut levius responsum est a theologis, ac pro formulis? Sed quid multis? In Iusum & Joeum hodie abierunt omnia. Est, qui superiore anno publica in Academia, temporis locique novi felicitatem prædicaturus, scribebat: *Exortam esse fortunam, qua, divino nutu, theologia ista & orthodoxia antiquior formularia seposita sit, vel obiter tra-*
Ean



Standa data, atque eius loco per pios viros, quorum adiiiciuntur nomina, adducta sit pia illa, pragmatica, pectore haurienda theologia.

Bone Deus! in quas Lutheranos servasti tenebras? At vero causa dudum data Deuter. XXVIII, 28. 2. Thessal. II, 10. Apoc. II, 5. 2. Pet. III, 16. Quo autem efferata temporis sese effert licentia? Quanta vis ista opinionum præiudicatarum in iis, omnium alioqui de præiudiciis, qui conqueruntur? Quæ germana illa fides & integritas hominum, iam bene pro lubitu, iam male dicentium, uti vel odii vel invidiæ, vel amoris, ex partium studio, exsurgunt motus? Hoccine est punctum, aut hinc fructus sunt pietatis pragmaticæ & restauratæ, vel sapientiæ, quam venerari debeat orbis universus? Quale id signum, vel civile saltem, honoris in Confessiones publicas, earundemque auctores, summos Principes, qui illas ipsas formas repagula voluerunt esse pacis Germaniæ publicæ? Dicis vero tu: *theologia formularia lepidam usurpationem non tangi confessiones publicas!* Imo obesæ naris sit, qui non olfecerit fumum! Quicquid autem vel festivi sermonis sit, vel subsannationum, neutrum in re seria viros graves decebat.

Sed, omisis deliris nugamentis, ostendam paucis, omnino & prorsus ex Dei voluntate necessarium esse, FORMAS in divinis ut habeamus. Lex & testimonium V. T. in ordinem tabularum, ac summas, redacta erant. Exod. XX, XXXIV. Levit. tot. Dent. VI, 4-9. XVII, 18. XVIII, 15. Ex N. T. quid aliud sunt, quam formæ fidei Christianæ ac Lutheranæ, quæ extant Luc. I, 68-79. XXIV, 44, 49. Ephes. I, 3-14. Ne quid adiciam de integris epistolis ad Rom. & Galat & Ebr. in quas hodie rariores habentur prælectiones *vielleicht weil diese Biblische Bücher die heutigen Religions, und Christenthums Mengeren und corruptellen gar zu deutlich weisen.* Discant rudes rerum theologicarum, quid sit ad Roman. VI, 17. *τύπος διδασχῆς*, & quid 2. Tim. I, 13. *ὑποτύπωσις ὑγιαίνοντων λόγων*, quo conferas in h. l. *Theophylactum, Aretium*, ex nostris *Zentgravium*. Sive autem hæc forma intelligatur de ordinata idea in mente solum circa substantiales veritates



tes divinas, quam mavult *Buddens*; sive in scripto consignata, rem ad unum recidere, videmus.

Idem de formularia theologia probo ex moribus antiquæ Ecclesiæ, in qua Doctores *Symbola*, *institutiones*, *expositiones* & *Sermones* de fide, *Dialogos* item & *dogmata* composuerunt, quorum summa quæ fuerit, ex *Ignatio*, *Iustino*, *Athenagora*, *Ireneo*, *Origene*, *Cyrillo*, *Gregorio*, *Nicæno*, *Augustino*, &c. breviter, quoad partes, ostendunt *Forbesius*, *Polanus*, *Cave*, *Nat. Alexander*, *Witsius*, *Spannheim*, imprimis *Chemnitius* noster, & *Foertschius*, & *Buddens* tandem, cum iudicio tamen legendus.

Secula lubens prætereo tenebricosa, atque huius tantum memini, inter *Lutheri* & temporis & *Doctrinæ* labores fuisse formas *Catechismi*. Anteibat in gravioribus *Melanchthon*, qui ea de causa primus fere recentioris theologiæ systematicæ auctor, iudice *G. Calixto*, habetur, ac qui titulo locorum theologicorum disponebat theologiam, quam maiore rerum & antiquitatis - apparatu ac luce explicabat summus *Chemnitius*. Plures nolo in scenam adducere, qui *locos*, *enchiridia*, *explicationes*, *examina*, *institutiones* - *brevaria*, *apodixes*, *isagoges*, *theologias*, item ut vocarunt, *positivas* condiderunt. Verendum enim mihi est, ne cachinnis & scommatibus excipiar tanquam formularius, recensendo theologiæ formulariæ auctores.

Sed quid vero egerunt auctores novi, & conditores theologiæ pragmaticæ ac efficacis? Nonne modo pari contarcinarunt formas? Nec Brocaudicorum antiquo-novorū formæ aut formulæ desunt iurisprudentiæ! Sed quis invideret, aut horum castra invaderet, dummodo bene forent omnia. *Lutherus* autem suo tempore de noto *Bodensteinio*: *Ich weiß nicht / was er damit meine / daß er so viel Bücher macht / auch von einerley Sache / und wohl auf einen Bogen möchte bringen / da er zehen zu verderbet / vielleicht hört er sich selbst so gern reden / wie der Storch sein Klappern. : Denn es ist sonst weder Licht noch Gestalt in seinem Schreiben / und möchte ei-*

ner so lieb einen Weg durch Hecken und Büsch brechen / als seine Bücher durchlesen. Aber es ist ein Zeichen des Geistes. Der Heil. Geist kan sein hell / ordentlich und deutlich reden / der Satan mummelt und kauft die Wort im Maul / und wirfft das hundertst ins tausende / daß es Mühe kostet / ehe man vernehme / was er meint. Tom. Altenb. III. p. m. 55.

Superius positis id adiecerim, quod primo ferme loco erat præstruendum, Deum scilicet sapientissimum nobiscum agere *natura humana convenienter* ad divina quoque percipienda. Hunc enim in finem intellectus nos viribus instruit per verbum in Spiritu S. ut primo singularium rerum notiones capiamus, nexum dein ad fidem divinam perspiciamus, porro, quæ sit Dei veritas in causis ad salutem, iudicemus. Iam vero sive ideas & notiones earundemque nexus tacita mente comprehendamus, sive exprimamus voce, aut scripto consignemus, res eadem est, dummodo loquamur cum Spiritu Dei. Hinc est, quod monemur, non solum *ᾠριεῖν τὸ αὐτό* sed etiam *τὸ αὐτὸ λέγειν*. I. Cor. I. 10. Item *προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις*, I. Tim. VI. 3. Memoria hominum labili, & avertendis confusis corruptelis remedium ut poneret, Deus, Scripturam suam verbis consignandam curavit, ut *exemplar*; quare idem non liceat in *imagine* inde efformata: Theses enim Theologiæ veræ ex SS. excerptæ, atque in ordinem redactæ quoad substantiam, quid aliud sunt, quam theses, sententiæ, verba & nexus ipsius S. S. *θεοπνευστα*: Quicunque ergo has S. S. summas, *formulariam* dicit *theologiam*, i. e. verba & res sine pragmate, sine vita & efficacia scripturam ipsam rem dicit esse mortuam, inanem, absque efficacia & spiritu, aut repetendum est, antiquum illud caco-mysticum, millies explosum atque in Deum iniuriosum: *agere media divina pro diversitate hominum, qui aliis id proponunt, item: Non multum opus esse intellectu, aut notionali theologia, multo minus formulis, quæ sint contra spiritus & prudentiæ libertatem. Thomafius olim: Alle Systemata kommen von Secten her: haben Irrthümer: haben das Haupt falsche Principium, daß der Glaube ein opus intellectus sey: Theologie sey keine Sciencz, En absolutissimum pragma.*



pragmaticum, quem lenire poterat rerum distinctio, ac moderatio verborum.

His quidem viis recta progredimur ad religionem quandam naturalem, universalem, indifferentem, moralem, quæ communis esse possit & apta omnibus hominum sectis, quæve allegorica quidem contineat mysteria nonnulla credenda, sed in quibus non multis notionibus, multo minus vocibus, formulis, aut distinctionibus opus sit, cum præcipuus cardo vertatur in agendis, & pia vita, atque huius religionis substantiam inesse omnibus omnium terrarum hominibus, sive exterius ethnici sint sive profani aut Christiani cluant. Hæc *Friedlibiana* est reformatio, hæc theologia ista pia, pragmatica, nec terminis horrida. Repeto hic, quæ anno 1715. scribebam: Fället nun also das Kleinod der reinen Lehre / sonderlich in Glaubens-Puncten / hinweg; was bleibt doch zwischen einen Christen und Heiden vor ein Unterscheid übrig? Auf solchen Schlag werden die ehrbaren Grau-Köpfe der alten Philosophen die ehrwürdigsten Patres ecclesiæ abgeben. So sind Socrates, Hierocles, Arrianus, Antoninus, Epictetus eben so gute moralisten als Paulus. Aus Senecæ des thöricht also genandten Bey nahe Christens epistolis können gar schöne Sonntägliche Lectiones entstehen. Commodissime magnus *Pufendorfius*, sidus illud Politicorum, qui Ictus erat, sed Christianus simul cum *Brunnemanno* aliisque manebat, in *Iure Feciali*: Wolte und würde man in der Christlichen Religion nichts mehr von Lehrern des Glaubens und andern Geheimnissen Gottes / nichts von Christo und dergleichen Puncten recht erklären oder wissen wollen / so wäre unsre ganze theologie etwa eine gute morale, die auch aus denen Heyden könte gezogen werden.

Duo hodie extant libelli apprime omnibus commendandi: Unum scripsit *Buddens* Ienenis de *Atheismo & Superstitione*; alterum edidit *Wernsdorfius* Wittebergensis de *Indifferentismo*. Utinam & o si legerimus unum, nec neglexerimus alterum, cum apertissima hic & mente & manu velamina seculi huius ultimæ Syrraxeos aperuerit & detraxerit. Aber das ist ein Stück des grössten heutigen

Clendes/

b 2

Clendes/



Elendes / daß sub scommate der Orthodoxen die auch nothwendigst und gründlichst geschriebene Bücher nicht einmahl mit dem linken Auge angesehen / geschweige gelesen werden / und die besten Leute den Titel und Hut bekommen derer Orcodoxen , derer Zäncker / Lästler / Hausbegens / Heuchler / Polstermacher / &c. von welchem Unrath ganze Fuder Könten aufgeschlagen werden. Sed experturi sunt posteri pro dolor ! quid his flammis non fatuis , sed orco dignis sit confectum.

Si obieceris autem , nihil effici formulis in divinis mysteriis , quum in iis sint maneatque inextricabilia quaedam , repono , quod reponerat olim sapientissimus Carolus Imp. Clementi Papae idem causanti : Illa vox Pontifice indigna est , quod ais : quaedam inextricabilia esse : **DEUS IMMENSA BONITATE SE PATEFECIT** , & vult nos amplecti doctrinam , **QUAM IPSE TRADIDIT** , qua si esset ambigua , inanis sonus esset. Vid. Coelestinus , hist. comit. init.

Quodsi pergas , sat gratiæ & doctrinæ orthodoxæ fidei tractatum esse superiore tempore der Gnaden-Predigten und des Evangelii wäre gnug / aus dem Ueberflusß wäre nur Mißbrauch und ruckloses Leben erfolgt / Lutherus hätte das eine reformiret / das andere wäre in der alten Verderbniß geblieben / es wäre einmahl Zeit / daß das andere nachgehohlet würde ! cum Cicerone exclamarim , delirationem incredibilem & reformativum novum , qui per medium fere seculum tantum sanctæ scil. novitatis dedit , ut totus prope orbis fuerit factus pius , honestus , socinianus , arminianus , arianus , stoicus , socraticus , omnia ad unum nexum & tresque. Has Deus gratias accepit pro abundantissima gratia sua evangelica ! Hæc retulit præmia Salvator pro summis ad redimendum perpeffionibus ! Has suscipiamus ovationes pro evangelio & evangelica Confessione in maiora certe Romanorum gaudia , & Lutheranorum planctus ! Lutheranus pius & Socinianus hodie idem. De reditu Lutheranorum ad antiquam matrem Eccl. Rom. Cathol. iam impense gaudent fratres scil. catholiciea maxime ex causa , quod non tam fidem , quam bona urgeant opera , uti ex scriptis manifestum ! Confessionis Augustanæ tempore longe alia rerum facies , alia Lutheranorum mens.



mens. Cum enim ageretur de recipiendis quibusdam, qui, licet dissentirent in doctrinae capitibus, pie tamen sentirent & viverent, *Melanchthon & Brentius*, literis ad Comitum Provinciale Hassiae Ludovicum missis, respondent: *Illustrissime Princeps, ea theologia, quae honestam vitam coram Deo, quam puram doctrinam pluris aestimet, unde originem suam trahat, nos latere & fugere nequaquam potest. Quodsi hoc in loco consisteret, multi philosophi in Christianorum numerum essent referendi. Neque doctrina ex honesta vita, sed ex verbo Dei indicanda & aestimanda est.*

Intermittere non possum, quin adducam verba *Fr. Burmanni*, theologi reformati aperte sui agentis & proponentis: Recedendum est, tum a Pontificiorum erroribus, qui sese bonorum operum tantum non idololatrias saepe reddunt; tum ab Antinomorum furoribus; ut interim non concedendum sit vulgi praepiudiciis, quae etiam inter multos Reformatos tantum non obtinent, quibus, innato humanae naturae errore, ad operum iustitiam identidem revolvuntur. Quale est: *Christianae religionis praecipuam partem vitae probitate ac morum doctrina absolvi. Quod insincera est.* Cum enim salus nostra, non hominum, sed Dei opus sit; istud Dei circa humanam salutem opus recte tradere, explicare, agnoscere & fide amplecti, vera religionis fundamentum & summam constituit, eamque ab aliis sectis & perverfis religionibus distinguit. Unde non doctrina operum sed fidei ac gratiae Christi, salutis fundamentum, & religionis nostrae pars excellentior est, eoque & primum tradenda venit, ut doctrina morum ei tanquam basi innitatur. Quae & scripturarum methodus est. *Sicut surrexit Christus ex mortuis per gloriam patris; ita & nos in novitate vitae ambulemus.* Rom. 6.4. Magna vero Ecclesiae corruptio hinc orta est, quod Christianismi substantia in bonis operibus collocata fuerit, sensimque Evangelium & doctrina gratiae isto operum studio abolita, inque novam legem ac Philosophiam quandam commutata, tandemque propria iustitia erecta fuit.

Huc pertinent & alii huius generis errores: bona opera, ac praecipue charitatem, esse primariam ecclesiae notam, ac maxime visibilem christiana.



christianismi characterem; melius esse habere pietatem, quam fidem: ac satis fere dari in ecclesia scientiæ, modo adsit pietatis studium; & nimium propemodum ista in parte laborari, desertis potioribus: nec enim magna quedam scientia ad salutem acquirendam opus esse: Sed sufficere eam, quæ summam religionem præcipuaque eius capita spectet: in sanctitate autem, in virtute, in bonis operibus omnem cardinem verti, atque istis solis cæli portam patere. Unde & doctrinas morales pro concione tractatas populi auribus magis placere videas quam enucleatam mysteriorum fidei explanationem; ex naturali videlicet præiudicio, cum operum studium natura hominibus insitum sit, fidei autem dogmata, ut longe supra captum nostrum posita, rationi minus arrideant: Quæ quam perplexa sint & quantopere fidem Christi, publicamque eius confessionem, ac Dei gloriam, quæ ea constat, lædant, & quam turpe charitatis ac fidei divortium introducant, istas sententias ultra attinet. Hucusque Burmanni synops. theol. lib. 6, c. 8. n. 10.

Atque ex his tandem subducere possem rationes, & constituere dictorum summam, qui demum quantivè fructus essent theologiæ istius excelsæ, vivæ, efficacis & pragmaticæ, quæ formulariæ superior sit, & selectis, sive adeptis, quibusdam viris, spiritu plenis, singulari Dei munere sit concessa. Sed vulnera nostra aut temporis scabiem quid iuvat refricare? *Ad peius atque ad veritatis confusionem: reformare conquiri de omnibus: criminari audacter: scurvilem in modum calumniari: rixas ferere & contentiones: & ore & vultu & gestibus nil nisi arrogantia spiritum spirare: excolare culicem; camelum autem deglutire: agere presumendo: de optime meritis abiectissime, de pessimis blandissime loqui: canonizare peccatores, & orco dare sanctos, qui non sunt de grege: ignorantia fratres laudare, dummodo precantes sint: pessundare solidam eruditionem: disicere unita: coniungere lucem & tenebras: Verbo: ex christianismo hypocrisin & Socinismum, tum moralismum communem & stoicum & socraticum & gnosticum efficere, hæc qualia sint ornamenta temporis mœrentes iudicemus. Væ nobis, si non urgeamus pietatem; Væ autem durius, si confundamus omnia! Simulata enim sanctitas est duplex iniquitas, ut iam Hieronymus iudicavit.* Sed




Sed VOS alloquor, VIRI FRATRES, ad vos una veritatis fideique & doctrinae consensione suavissime converto. Vestri quidem causa hoc, quicquid est scriptiois, suscipere non fuit opus. Sed, publicae Confessionis annum cum agamus, id agere volui, publica ut coram Ecclesiae facie proponam & tester, ecclesias quae Christo in dynastia nostra *Ieverana*, & vicinis colliguntur, *Augustana Confessionis*, verae illius nec mutatae ac *Formula Concordia* omnino & sigillatim esse Socias, tum iisdem ecclesiis de VOBIS Viris integerrimis & veri servantissimis laetus ut gratularer, omnes denique ut constantes simus, monendo & comprecando suscitarem. Deterius ut sentiam, quid me moverit? Fieri quidem potest, aliquando, spe aut opinione ut fallamur, ac quod ethnicus Orator conqueritur, idem compleatur in christianis, esse homines, in quorum animis latebra sint & magni recessus quorumque quidem species sit honestissima, voluntas vero & ratio impudentissima. Sed nec scio, neque praesumo. Veritatis sumus ministri, in qua apertum pectus videt Deus, callidum contra & occultum & astutum & vafrum & multiplex iudicabit idem, qui est vindex veri. Non sine causa inter textus, quos summus Episcopus noster IOHANNES AUGUSTUS *Anhaltinis*, aequae ac *Ieveranis* nobis, per ferias seculares imposuit, relatum est dictum, quo ad Tribunal Christi provocat Apostolus 1. Timoth. VI. 12-16. add. comm. 20. Coniungas 1. Tim. V. 21. & 2. Tim. IV. 1. Ad exemplum evolva-
mus maiorum nostrorum obtestationes in verbis, quibus praefati illi sunt Aug. Confess. & Form. impr. Conc. Haec legamus, ut imitemur. Ecclesiae ministri primi fuerunt, qui in tractu nostro Confessionis doctrinam susceperunt, & vel murmurantibus, vel minitantibus, incolis & civibus, aut primo quoque superioribus, strenue urserunt, quinque iam annis ante, quam Comitia Aug. haberentur. Et cum notum illud INTERIM Anno 1548. severius iniungeretur ceterisque trepidarent, aut iuberent, praecipui Pastores submissum testabantur sed constantem simul firmumque & apertum dissensum. Haec ordo noster, qui praedeceffit, & tempore quidem instantis persecutionis. Quid quaeso nos decet, aera cum fruamur liberiore? Quanta nos constantia obfirmemus in Deo animum, cum, quid confiteamur, noverimus, quae vel iurata fide data, non per *Quatenus*, sed



sed per *Quia*, non per *pium affectum* solum, sed per *verum sensum*,
Deo conscio, subscripserimus probata. Quanta in Deum & Prin-
cipes devotaque mente sequi nos decet, cum habeamus SERENISS.
IOHANNEM AUGUSTUM, qui lucem nobis præfert cellissimo
exemplo, atque vestigiis summorum MAIORUM, *Wolfgangi Con-*
fessoris, Georgii Docentis, Iohannis Constantis, Caroli Wilh. in Deo
Magnanimi ne tramite mutatoa insistit! Servet Deus nobis hanc
lucem! Servet *Sereniss. Duciss. HEDWIGAM FRIDERICAM*: Per-
petua ornet felicitate Domum *Anhaltino - Servestanam*, omnesque
huius ex utroque latere *Serenissimos Serenissimasque Principes*, omnes &
singulos qui unam augustam illam Veritatem nobiscum confitentur.
Ita bene sit patriæ! Vigeat *Servesta*! Floreat *Ievera*! iubilent Ec-
clesiæ. Personent Scholæ! Deus cum omnibus, veritatis eius no-
men qui verentur! Faxit idem immortale Numen, plures ut cen-
tenos per annos posteris, & qui nobis succedent, una fide
& voce fideique & conscientiæ libertate Iesu Christi
veritatem & gloriam læti & ovantes
confiteantur.





B.I.G.

Farbkarte #13

Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

